DE

PSEUDOLYSIAE ORATIONE OCTAVA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

LEGITIME IMPETRANDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN ALMA UNIVERSITATE JENENSI

OBTULIT

ERNESTUS FRITZSCHE.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXVII.

DE PSEUDOLYSIAE ORATIONE OCTAVA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

LEGITIME IMPETRANDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN ALMA UNIVERSITATE JENENSI

OBTULIT

ERNESTUS FRITZSCHE.

ROSTOCHII.
TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.
MDCCCLXXVII.

FRANCISCO VOLCMARO FRITZSCHIO

PATRI OPTIMO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

ERNESTUS FILIUS.

De Pseudolysiae oratione octava.

Quo majore apud veteres Lysias laude floruit [1]), eo magis dolendum est quod ne eae quidem, quae ex 233 ejus orationibus, a Dionys. Hal. commemoratis, aetatem tulerunt, aut integrae sunt servatae omnes aut ita comparatae, ut de genuina earum conditione dubitari nequeat. Quod cum in alias multas orationes cadit, quae sub Lysiae nomine venduntur, tum in octavam; quae qualis mihi esse videatur ita exponam, ut *primum eam Lysiae abjudicandam esse demonstrem, deinde vero corruptos quosdam, qui permulti in ea reperiuntur, locos sanare coner.*

Ac primum quidem quae in judicium venit elocutio, de ea quaestio est impeditissima. Cum enim non semper sibi constent oratores sive ab usitato sermone consulto

[1]) Dionys. Hal. d. Lys. — Plato Phaedr. — Suidas s. v. *Λυσίας*. — Hermog. *π. ἰδ.* p. 350. — Cic. Brut. Orat. — Quinctil. III. 8. 51: »Lysias optime videtur in iis, quae scribebat indoctis, servasse veritatis fidem«. — A. Gell. N. A. II. 5. »si ex Platonis oratione verbum aliquod demas mutesve atque id commodatissime facias, de elegantia tamen detraxeris; si ex Lysiae, de sententia«. — Phot. cod. 262. *ἔστι δὲ ὁ Λυσίας δεινὸς μὲν παθήνασθαι, ἐπιτήδειος δὲ τοὺς πρὸς αὔξησιν διαθεῖναι λόγους.*

declinantes, sive aliis de causis a consuetudine aberrantes, saepissime fit, ut de elocutione disputantium sententiae inter sese discrepent, praesertim cum quae huc pertinent sentiantur magis quam demonstrentur. Sic Dobreo[1]) orat. XVIII contra Poliochum habita est „praestantissimum fragmentum“, Franckenio[2]) contra jejunum et Lysia indignum. cfr. de orat. X Franckenii[3]) et Scheibii[4]) judicia. Eodem modo de nostra quoque oratione virorum doctorum judicia diversissima exstant. Ita Hoelscher[5]), Benseler[6]), Pertzius[7]), Blassius[8]), Wilkius[9]) aliique v. d. de oratione VIII tanquam suspecta egerunt; deinde num a Lysia profectum sit hoc opusculum dubitaverunt Taylorus[10]) et Reiskius[11]); denique non defuerunt qui orationem Lysiacam ab audacia, ut existimant, et lusu criticorum defenderent, qui fuerunt Franzius[12]), deinde Scheibius[13]), qui cum orationem in editione sua uncis non incluserit genuinam eam habuisse putandus est. Nuperrime Kirchner[14]) orationem Lysiae vindicare ausus est, quem minus feliciter secutus est Gleiniger[15]). Nam cum Gleinigeri argumentationes saepius videantur ejusmodi, ut neque certis causis munitae sint, et nonnumquam re non satis pervestigata imperiose haec vera illa falsa esse contendatur, facere non potero quin aliis argumentis Gleinigerum refutare coner. Atque ut hoc loco Gleinigeri rationem criticam paulo accuratius describam, utrum illius fiduciam magis mirer an criticam audaciam

---

[1]) ad orat. XVIII. — [2]) comment. Lys. p. 129. — [3]) c. l. p. 72. — [4]) Scheibe J. J. 31. p. 365. — [5]) Hoelscher de vita et scriptis Lys. orat. p. 73. — [6]) Benseler de hiatu p. 183. — [7]) Pertzius Quaest. Lys. cap. II. p. 13. squ. Clausthal. — [8]) Blassius Geschichte d. att. Beredsamkeit p 658. — [9]) Wilkium in programmate 1870 Lipsiae edito de nostra oratione scripsisse non ignoro, opusculi ipsius acquirendi facultas mihi data non erat. — [10]) Taylorus edit. — [11]) Reiskius edit. — [12]) Franzius edit. — [13]) Scheibius edit. — [14]) Quaest. spec. Demmin 1869. — [15]) Gleiniger, Hermes IX. p. 150 squ.

dubito. Cum enim in nostra oratione occurrant quae similibus locis firmari nequeant, vel quae seriem sententiarum interrumpant, vel quae alia ex causa suspecta videantur, ea ad librarii errores et vitia promtissimo animo revocat. Veluti haec dicit:

Es wird somit die Hand des Ueberarbeiters im Spiele sein. p. 160, — Kurz, der Ueberarbeiter hat sich hier eine starke Kürzung erlaubt. p. 162, — eine Lücke, welche man wohl einem nachlässigen Abschreiber zutrauen darf. p. 164, — alle diese Mängel können nur einem mit Absicht kürzenden Menschen zugemuthet werden. p. 164, — absichtliche Aenderung p. 166, — aus § 16 hat man wieder auf eine Verkürzung zu schliessen. p. 167, — der Epilog ist auch nicht von der verderblichen Hand jenes Spätlings verschont geblieben. p. 167, — der Bearbeiter hat neue Formeln eingeführt. p. 171, — sollte jemand die Stelle in § 5 *οἵτινες μὲν .... λάθρᾳ μὲν ...... φανερῶς δὲ* für Lysias nicht passend erachten, so kann er dies dem Excerpenten zur Last legen. p. 172, — man kann die grenzenlose Willkür des Bearbeiters nicht bis in jede Einzelheit verfolgen. p. 172, — sollte das *τὸ ἐμὸν* für geziert scheinen, so kann man es dem Bearbeiter zuschreiben. p. 177, — der Excerptor hatte einen Anflug von rhetorischer Bildung. p. 174, — der Fehler wird aus Unkenntniss des byzantinischen Abschreibers herzuleiten sein. p. 178, — also hat die Hand des Ueberarbeiters auch hier frei geschaltet. p. 179, — es lässt einen flüchtigen Ueberarbeiter durchblicken. p. 179, — in § 18 ist *ἐροῦντα* statt *συνεροῦντα*, der Nachlässigkeit des Bearbeiters beizumessen.

Qualia non saepius quam undequinquagies variata actantur. Multum sane erraverunt et peccaverunt nostrates ejusmodi artem criticam factitantes, nusquam hac medicina vis morbi relevata est, at ingravescit malum. Denique

Buermannus[1]) nuperrime felici manu vitia sustulit, quae suo loco laudabuntur.

De genere dicendi, quo quis scriptor usus sit, disputantem ad eas voces et structuras, quarum praeter ceteras amans est auctor, respicere necesse est et cavere ne res minores confundantur cum gravioribus; nam saepissime accidit ut nimio studio et amore alius cujusdam scriptoris commoti deprehendere videamur quae congruunt cum usu illius scriptoris, abhorrent ab eo, de quo agitur. cfr. quaeso, Xenophontis libellum, qui *πόροι* inscribitur, ubi IV. 39 vocabulo *ὑπεργεμίζειν* est[2]) qui utatur ad fidem opusculi Xenophonteam muniendam, cum Xenophon amet vocabula cum *ὑπέρ* composita, Richterus autem ut suppositicium esse libellum demonstret, cum Xenophon nusquam habeat verbum *ὑπεργεμίζειν*. Itaque primum proferamus quae in oratione VIII videantur Lysiaca, deinde quae non Lysiaca, ut denique utraque ponderemus et dimetiamur.

Lysias nusquam ad figuratam orationem vel translatum verborum usum vel omnino poeticam dictionem proclivis verba rei aptissima eligere studet, neque tamen adjumenta ea, quibus orationi splendorem et elegantiam addere possit, omnino repudiat[3]). Ac primum quidem Lysiae proprium esse apparet orationes interrogationibus rhetoricis exornare. cfr. II. § 40. XIII. §§ 20, 22, 34, 46, 69, 87, sic in nostra oratione §§ 3, 6, 7, 8, 12, 13, 14, 16, 17, 18, 19. Sed raro semet ipsum interrogat ut VIII. § 17 *κατὰ τί δὴ*

---

[1]) Buermannus in diariis Hermes X. p. 347.

[2]) Gleiniger de Xenophontis libello, qui *πόροι* inscribitur.

[3]) Dionys. Hal. d. Lys. c. 4 *σαφήνεια ἐν τοῖς ὀνόμασιν, ἐν τοῖς πράγμασιν.* Aristot. Rhet. III. c. 2.

ταῦτα οὐκ ἐφυλαττόμην; simili modo compositae sunt enunciationes interrogativae, quae leguntur X. § 26. XIII. § 20. Porro quum interrogationes oratori valde placuerint, exclamationes quoque ei arrisisse non est mirum. Ea enim est inter utrumque genus conjunctio et quasi affinitas, ut saepe utrum interrogare voluerit auctor, an exclamare discernere vix possis. An quae legimus Aristoph. Pac. V. 1240

τί τἄρα τῇ σάλπιγγι τῇδε χρήσομαι;

vel Eurip. Hippol. V. 1012

μάταιος ἄρ' ἦν, οὐδαμοῦ μὲν οὖν φρενῶν.

interrogationes nonne eaedem sunt et exclamationes? Sic VIII. § 12 verbis

ἆρά γε ταῦτα ξυμβαίνει τοῖς ἐξαγγελλομένοις.

apertissima inest exclamatio. cfr. X. § 28, XII. § 34. Soph. Philoct. V. 1452. Huc spectat quod legimus § 18 μὰ τοὺς θεούς, quod Frohbergero [1]) magnam movit suspicionem; minus recte, nam ut Lysias ab hoc exclamationis usu sit remotissimus, non video quid eum semel in hanc formulam ceteris scriptoribus atticis frequentissimam incidere vetuerit [2]).

Sequitur ut de usu ellipsis, quam figuram rhetoricam ab Lysia fere alienam existimat Gleiniger, inquiramus. In nostra oratione § 9 vocabula νῦν δέ efflagitant, ut plena fiat elocutio, supplenda οὐ χρή; praeterea § 4 εἴπερ ὑμῖν ταὐτὰ λέγοιμι περὶ ἐμαυτοῦ ne claudicet sententia post λέγοιμι desiderari ἅπερ ὑμεῖς apparet. Gleinigeri [3]) diligentiam fugerunt hi loci:

---

[1]) Frohberger zu Lysias XIII. 95. — [2]) e. gr. Aristoph. Nub. v. 121. Av. v. 89. Ran. v. 1188. Soph. Electr. v. 616. Xenoph. Symp. 43. Lys. VI. (εἰ γνήσιος Dionys.), ubi ad deos semper semperque provocat orator. — [3]) l. c. p. 172. »Ellipsen sind sehr selten bei Lysias und fast nur, wenn εἶναι zu ergänzen ist, angewendet«.

I. § 19. οὐδὲν γὰρ εἰδέναι. I. § 37, — IV. § 12, — VII. § 35, —
X. § 28, αἰτίαν δ' ἔχειν ὑπὸ τῶν παίδων.
XII. § 60, εἰ μὴ δι' ἄνδρας ἀγαθούς.
XII. § 61, ὅμως δέ.
XII. § 100, ἔχετε.
XIII. § 79, ἀλλ' ἕτερον. XIII. § 80.

Qui omnes eandem prae se ferunt conditionem, quam paragraphi orationis VIII allatae, nam desiderantur verba sive ἀνῃρῆσθαι, sive ἐκωλύθησαν, sive παρέξομαι, sive προσγίγνεται, sive aliae plenae notiones. Quare cum Gleinigero facere non possum. Subaudiendum relinquitur verbum εἶναι in aliis bene multis exemplis apud Lysiam: I. §§ 7, 48, 49, II. §§ 1, 2, 17, 26, 28, 37, 41, VII. § 14, X. § 29, XII. §§ 64, 81, XIII. § 20, cet. Infinitivum omissum invenimus ad δοκεῖν, qua de re disseruit Elmslejus [1]). cfr. Xenoph. Cyr. III. 5. 2. Deinde leviores hae sunt:

IV. § 12 καὶ μὴ τοσοῦτον ἰσχῦσαι τοὺς τούτου λόγους, ὅτι φησὶν αὐτὴν ἐλευθέραν εἶναι, per se patet non esse audiendos qui inducere quid volunt, quo firmetur voc. τοσοῦτον, nam commode subaudiuntur talia quaedam. Sic τοιοῦτος, οὕτως similia saepius carent sententia ad quam respiciunt, quare VII. § 26 non erat quod Dobreum cogeret interpolatorem coarguere alterum οὕτω in contextum induxisse. — VII. § 35 οὗτος δ' οὐκ ἤθελεν, οὐδὲν φάσκων πιστὸν εἶναι τοῖς θεράπουσιν, ἐμοὶ δὲ δοκεῖ εἶναι κ. τ. λ. Brevis haec dicendi ratio ad evitandam molestam eorundem vocabulorum repetitionem apud Graecos est frequenta-

---

[1]) Elmslejus ad Eurip. Med. v. 745: ἐπεὶ γενναῖος ἀνήρ, Αἰγεῦ, παρ' ἐμοὶ δεδόκησαι. Nimirum consuetudo Graecorum ut vocabulum interdum reticeri vellent, inde manasse videtur, quod ipsi adjectivo vel pronomini quodammodo adhaerescit verbi εἶναι sive γίγνεσθαι notio.

tissima. Apparet enim ad *δοκεῖ εἶναι* esse supplendum ex superioribus: *οὐδὲν πιστὸν τοῖς θεράπουσιν*, itaque vereor ne Hamakerus subtilius argutiusque de hoc loco judicarit. Deinde pronominis quaedam forma apud Lysiam saepius deest, praesertim cum ex superioribus facile pronomen sit apud animum repetere. cfr. VII. § 5 desideratur *ἡμᾶς*; de hac ellipsi cfr. Bremium[1]) et Foertschium[2]) et Porsonem[3]). — Eandem breviloquentiam rerum scriptores Romani amant. cfr. Tacit. ann. II. 22: Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat: ni deditionem properavissent. sc. et bellum iis illatum esset, ni[4]). Simili modo hist. III. 28, — IV. 36. Cfr. Soph. Electr. v. 674 *δρόμου προκηρύξαντος*, quae quidem dura breviloquentia (desideratur *ἀγῶνα δρόμου*) ab Sophoclis elegantia ita abhorrere mihi videtur, ut vulgatum *δρόμον* praetulerim. Xenoph. anab. III. 4. 13 ejusmodi prope inauditam praebet ellipsin.

Deinde comparativa elocutio § 17 *παρακαταθήκην ἔχων ὑμῶν παρ' ἑκάστου λόγους πονηροὺς περὶ ἀλλήλων*, nullam movet suspicionem. cfr. X. § 16, XXIV. § 14. Frgm. I. § 4.

Neque quam praebet § 3 prosopopoeia vocabuli *πρᾶγμα* de fide orationis nostrae dubitationem nobis injiciet cum respexerimus XIII. § 5. Lysias saepissime quasi ludit in his conformationibus. I. §§ 34. 36. IX. § 9. XIV. § 5.

Epanalepsis genus (cfr. § 5) apud Lysiam frequentius est, quam ut exemplis confirmandum sit.

Porro oratoriam anaphorae figuram Lysiae mire gratam fuisse apparet ex IV. §§ 4. 99, VI. § 53, XII. §§ 56. 68. 78, XIII. § 41, XIV. §§ 28. 39. 41, XXXII. § 16,

---

1) Bremius ad Lysiam p. 50. — 2) Foertschius observatt. in Lys. p. 66. — 3) Porson ad Eurip. Phoen. v. 714. — 4) Draeger in libro: Syntax und Stil des Tacitus p. 86.

idemque valet de *πολυσυνδέτοις* et *ἀσυνδέτοις*, quibus nostra oratio est refertissima. (XII. §§ 78, 100, XIV. § 41.)

Jam Gleiniger [1]) respiciens § 3 *βοηθῶν οἷς ἐξημάρτηκε* plura de *μεταφορᾶς* usu disserens gaudio exsultat, quod investigasse sibi videtur Lysiam cupidissime notiones ab rerum militarium usu ad res forenses transtulisse. Quod idem et recte et falso esse dictum quivis intelligit. Nam vocabula *ἀγών, ἀγώνισμα, παρασκευή, αἱρεῖν, λαμβάνειν, βοηθεῖν* cet. sic in frequentissimum rhetorum usum intrarunt, ut notio nativa omnino sit deleta neque sentiatur; errat igitur Gleiniger si hac de causa *βοηθῶν οἷς ἐξημάρτηκε* Lysiacum existimat. Sane verbo *βοηθεῖν* nemo offendetur, at dura verborum constructione.

Leges, quas v. d. de verborum compositione ex veteribus monumentis eruere conati sunt, valde vacillant atque fluctuantur; id quod nemo mirabitur, qui quantopere studiis et amoribus scriptores inter sese distent consideraverit; alia enim ab aliis alio modo tractantur, aliisque alia placent. Atque Lysiae placuerunt verba saepius composita: quod Gleiniger negans solas compositiones *ἐπεξέρχεσθαι* et *ἐπεξιέναι* in usu Lysiae fuisse dicit [2]), nam quod occurrat X. § 18 *ἐπανάγνωθι* efflagitare emendationem atque *περικαταρρέοντα* XXX. § 22 offensioni esse ut in oratione non Lysiaca. Quae quo jure disputata sint docent haec bicomposita:

ἀποδιοπομπεῖσθαι VI. § 53.
προσαπολωλέναι XII. § 64.
συναπώλλυντο XII, § 88.
συνεκπλευσεῖσθαι XIII. §§ 25. 26. 27.
συνδιαβάλλεσθαι XIII. § 26.
συνεξέδωκε XIX. § 59.
ἐπεγκαλεῖν et *ὑπερευδοκιμεῖν* VIII. §§ 1. 7.

---

[1]) l. c. p. 171. — [2]) l. c. p. 176.

Itaque non erat quod Gleiniger verbum ἐπεγκαλεῖν corruptum esse suspicaretur.

Jam argumentationem, quam Benselerus [1]) iniit ad fidem orationis nostrae labefactandam, refellendam putamus. Postquam Benselerus ostendit Lysiam hiatum omnino non curasse [2]), totam orationem VIII non Lysiae sed rhetori cuidam eique non optimo seriorum temporum tribuendam existimat, quod per viginti paragraphos verba ita sint conjuncta, ut nullus inde exsisteret hiatus idque apud scriptorem, qui quantum ex ceteris ejus orationibus judicari possit, omnino orationem non ita formaverit, ut simul vocalium concursum evitaret. Cum haec proferat Benselerus respicere videtur ad §§ 1 et 12, leguntur enim haec:

περὶ ὧν εἰπεῖν ἐβουλόμην πάλαι.

καὶ ταῦτα τί με δεῖ φανερώτερον ἐξελέγχειν ἔτι;

pro usitato verborum ordine:

περὶ ὧν πάλαι ἐβουλόμην εἰπεῖν.

καὶ ταῦτα τί με δεῖ ἔτι φανερώτερον ἐξελέγχειν;

Sane primo jam obtutu ordinem verborum esse mutatum apparet; sed suspicor haec deberi rhetori cuidam, qui id egerit ut industria et arte declamationem exornaret. Accedit quod cod. C, quocum facit Bekkerus in editione Lysiae, habet καὶ ταῦτα τί με δεῖ φανερώτερον ἐξελέγχειν; Sed nimis audacter v. d. protulisse hoc videtur, per viginti paragraphos verba ita esse conjuncta, ut nullus inde exsisteret hiatus, si examinaveris haec: περὶ ὧν § 1. — εἰπάτω οὖν § 3. — περὶ ἐμαυτοῦ § 4. — ὅτι ἐλέγετε. — ἃ δὲ ὑβρίζειν § 5. — οἰόμενοι ἐμέ. — εἰ δὲ αἰσχρόν § 6. — οὐδὲ ἀπειπεῖν § 7. — τὰ δ' ὑμέτερα ἀσφαλῶς ἔχοντα. — οὐδ' αὖ ὑμᾶς. — οὓς ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν § 8. — ποιή-

---

[1]) Benseler de hiatu p. 183. — [2]) l. c. p. 175.

σαιμι αὐτόν § 9. — *καὶ ταῦτα εἰ μὲν ἠπίστουν* § 9. — *καὶ ἐμοί.* — *τοῦ ἵππου* § 10. — *οὑτοσὶ ἀποτρέπειν.* — *τοῦ ἵππου.* — *δίκαιόν με εἴη.* — *τὸ ἀργύριον.* — *σφῶν γε αὐτῶν* § 11. — *καὶ ἐγώ.* — *οἱ δ' ἄρα οὐκ.* — *περὶ ὧν* § 14. — *μετὰ τοῦτο Αὐτοκράτης* § 15. — *Θρασυμάχῳ ἔλεγεν.* — *τὸν ἀπαγγέλλοντα δὲ εἶναι Μ.* — *ἐκεῖνος οὔτε ἀκοῦσαι πώποτε ἔφασκεν οὔτε ἀπαγγεῖλαι* § 15. — *καὶ οὐ ταῦτα.* — *νῦν δὲ ἐπειδὴ ἐκλελοίπασιν.* — *λείπετε ἤδη οὐδὲν* § 16. — *περὶ ὑμῶν.* — *ταῦτα οὐκ* § 17. — *τι ἔπαθον.* — *περὶ ἀλλήλων* § 18. — *τὰ βέλτιστα ἐρεῖτε περὶ ἐμοῦ* § 19. — *ἕνα ἕκαστον.* — *ὁ εἷς.* — Sint sane plures hiatus justi et leviores, quos tamen orator si voluisset facile potuit evitare. cfr. Gleinigeri sententiam de hac re, qui § 1 librario vindicare studet peritiam quandam rhetoricam, cum justum verborum ordinem permutarit. Quid! *περὶ ὧν εἰπεῖν ἐβουλόμην πάλαι* rhetorice dictum?!

Denique cum orationi VIII quinque vocabula syllaba *περ* aucta insint, quoniam tales compositiones a Lysia amantur, non defuerunt qui eam ob rem Lysiae nostram orationem tribuerent. Nam e. gr. XII saepe *ὥσπερ* legitur, porro *εἴπερ* §§ 29. 32. 48, *οἵπερ* § 38, *ὅσαπερ* § 40, cfr. X. §§ 6. 11, VII. § 17, I. § 1. Contra in prioribus orationis XIII septuaginta paragraphis ne semel quidem compositionem cum *περ* invenimus, atque in oratione XIV. bis tantum in circuitu quadraginta septem paragraphorum talis compositio occurrit.

Itaque quae occurrunt interrogationes vel exclamationes, deinde comparationes, prosopopoeiae, porro exempla ellipsis, *ἐπαναλήψεως, ἀναφορᾶς,* tum *πολυσύνδετα, ἀσύνδετα,* denique vocabula bicomposita atque addito *περ* aucta, haec omnia neque quidquam offensionis movere et ad fidem orationis muniendam idonea esse libere concedendum est.

Contra jam illa vestigia sunt persequenda, ex quibus orationem VIII non esse Lysiacam apparet. Incipiamus a figura *ἀντιθέσεως*, quam recte Photius [1]) Lysiae propriam et amatam dicit. Nam ubique praeclara hujus generis exempla occurrunt, veluti: X. §§ 9. 10. XII. §§ 21. 34. 51. 57. 59. XIII. §§ 19. 28. 44. 53. cet. Attamen eo audaciae oratorem perfectissimum processisse, ut tantam quasi molem *ἀντιθέσεων* exstrueret, quantam in oratione VIII deprehendimus vix quisquam mihi persuadere poterit, praesertim quum Photium [2]) audiverimus. Et leguntur haec:

§ 1. *πάρεισι μὲν .... πάρεισι δέ, — τοὺς μὲν γὰρ οἶμαι τιμήσειν .... τοῖς δέ, —* § 2. *ἀνιαρὸν μὲν .... ἀδύνατον δέ, —* § 3. *κακῶς ἀκήκοεν ἢ πέπονθεν. — τὰ μὲν λέγειν .... τὰ δὲ ποιεῖν, —* § 4. *πρὸς τούτους ἡμᾶς διαβάλλειν οὓς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διεβάλλετε, —* § 5. *οἴεσθε μὲν .... ἀποφαίνετε δέ, — λάθρα μὲν .... φανερῶς δέ, —* § 6. *ἢ μὴ κακῶς λέγειν ἢ μὴ ξυνεῖναι, — εἰ δὲ αἰσχρὸν ἡγεῖσθε τοῦτο, πῶς αἰσχρὸν ἦν, —* § 7. *ὑμᾶς σοφωτάτους .... ἐμαυτὸν δ' ἀμαθέστατον, πολυφίλους ὑμᾶς, ἐμαυτὸν δ' ἔρημον φίλων, — ὑμᾶς μὲν πλουτοῦντας, ἐμὲ δὲ πενόμενον, — ὑμᾶς μὲν ὑπερευδοκιμοῦντας, ἐμαυτὸν δὲ διαβεβλημένον, — τὰ μὲν ἐμὰ .... τὰ δ' ὑμέτερα, —* § 9. *ἐκεῖνος ἀπήγγελλεν .... ὑμεῖς ἐλέγετε, — ἐκεῖνος μέν .... ὑμεῖς δέ, — σημεῖα ταῦτα μὲν ἐκείνων .... ἐκεῖνα δὲ τούτων, —* § 11. *ἐγὼ μὲν .... οἱ δέ, — οὐκ ἀντέλεγον ἀλλ' ἀντέπραττον, —* § 14. *ἐγὼ μὲν .... ὁ δέ, —* § 15. *οὔτε ἀκοῦσαι .... οὔτε ἀπαγγεῖλαι*

---

[1]) Phot. cod. 262 *ἰδίωμα δὲ Λυσίου καὶ τὸ τὰς ἀντιθέσεις προάγειν.*

[2]) Phot. l. c. . . . . . *μηδαμῶς μὲν ἐμφαινούσας (ἀντιθέσεις) τὸ ἐπιβεβουλευμένον, τὸ δὲ ἀπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἐπεσπασμένον δεικνύειν.*

.... οὐδὲ διειλέχθαι, — § 16. τότε μὲν .... νῦν δέ, — § 18. ἀντὶ μὲν τοῦ λέγειν .... ἀντὶ δὲ τοῦ βοηθεῖν, — § 19. τοὺς μὲν γὰρ χρωμένους .... τῶν δὲ μὴ χρωμένων.

Περιφράσεως unum tantum exemplum praebet oratio VIII. § 19 τὸ μὲν οὖν ἐμόν. Nemo non videt, nostro loco non fuisse, quod orator exquisitius circumscriptione uteretur pro simplici ἐγώ. Nam longe alia est periphrasis his locis: XXIV. § 3 ἄλλον βίον διάξω, XXV. § 11 συμφορᾷ τοιαύτῃ κεχρημένοι, XXXI. § 7 cet. alia nostro. Similes circumscriptiones veteribus scriptoribus valde placuisse ex usu verbi ποιεῖσθαι elucet. Occurrunt e. gr. σπουδὴν ποιοῦμαι pro σπουδάζω; λόγους ποιεῖσθαι pro λέγειν; κατηγορίαν π. pro κατηγορεῖν, ὁδὸν π. pro ἰέναι. Isocrat. Areop. § 1, Aesch. Tim. 169 cett. Quod Bernhardy [1]) de periphrasis usu disserit: „τὸ ἐμόν echt attisch für ἐγώ, häufig in gewählter Rede", non pertinere ad nostrum locum quivis intelligit.

Cur in nostra oratione vocativi, quibus Lysias auditores alloqui solet, omnino desiderentur, non video. Nam conferentibus nobis orat. XIII viginti septem, XIV viginti ejusmodi vocativi occurrunt, qui quo elatior et vehementior ruit oratio, eo saepius iterantur. cfr. XIII. § 70. Porro quis tantam inconstantiam Lysiae objurgare audeat, quantam orator de se ipso loquens probat, cum mox numero singulari, mox plurali utatur? § 4 ἡμᾶς, § 7 αὐτός, § 8 ἡμῶν, § 9 ἡμῖν, § 13 ἔτυχον, § 18 ποθήσομαι, § 19 ἐγώ. Cujus rei exempla in Lysiae orationibus nulla exstant, nam XII § 81 vel XIV § 18 ab nostro loco sunt alienissima.

Sequitur ut de ἅπαξ λεγομένοις, quae dicuntur pauca proferamus. Nemo, opinor, fallacissimo judicio vocabulum

---

[1]) Bernhardy Griech. Syntax p. 326.

propterea quod ex paucis Lysiae orationibus similitudine firmari non potest, a Lysia abjudicare volet. Contra si quod vocabulum vel notione vel compositione offensioni fuerit ad labefactandam orationis fidem pertinere putarim. Atque oratio VIII summa mole talium vocabulorum quasi obruta est, quae quidem ita sunt constituta, ut in dubitationem de fide nos adducere possint. Haec leguntur: *κακολογία, συνουσιασταί, ἐπεγκαλεῖν, πολύφιλος* vox poetica et temporibus Lysiae plane inusitata; *ὑπερευδοκιμεῖν, (τάχα) ἀπόθετος, πορίζειν, περαίνειν,* deinde voces hae notionem mutaverunt: *φιλοσοφοῦντας* cfr. XXIV. § 10, — *σκαιοτάτους* cfr. X. § 15, — *πορίσηται* cfr. XXIX. § 7, — *παρακαταθήκην* cfr. XXXII. § 12, — deinde *ποθήσομαι, ξυνθεωρεῖν.*

Sed jam quaerendum, num in compositione et arte orationis Lysiae manus agnoscatur. Oratio continetur viginti paragraphis, qua in paucitate non rarius quam tricies quinquies verbum *λέγειν* obvenit, accedunt alia dicendi verba duodeviginti. *Ταῦτα* septies decies invenitur, atque septies *καὶ ταῦτα* novam incipit elocutionem. *Καί* tricies sexies legis, idem septies ineunte enunciatione. Denique *γάρ* vicies quater scriptum videmus. Quis unquam talia apud Lysiam invenit! — Deinde transitus ab prooemio ad ipsam causam et ab causa ad epilogum requiritur; et Lysias in orationis fine quae antea sunt commemorata complecti solet. Porro narratio — si qua est — ipsam orationem interrumpit, denique flebiles lamentationes, quibus lacunosa oratio abundat, justam suspicionem movent.

Nuperrime Buermannus [1]), cui duces praegressi sunt Emperius [2]), Blassius [3]) alii justum sententiarum ordinem

---

[1]) Hermes X. 1876 p. 347. — [2]) Emperius opusc. p. 66. — [3]) Blass l. c. p. 656.

construere conatus est. Sane concedendum est orationem ita esse comparatam, ut quid voluerit orator intelligamus, tamen quod rebus inanibus et absurdis et omnino Lysia indignissimis abundat oratio, non uno loco audacissima conjectura opus est ad explanandam sententiam. Quare non fuit quod Gleiniger [1]) scriberet: „man muss gestehen, dass die Rede meisterhaft gehalten und seiner (des Redenden) Lage vortrefflich angepasst ist." Mitto sophismata mira et ridicula, mitto ipsam rem, quae tantum abest ut auctori sit laudi et gloriae, ut ejus auctoritatem deminuat. Sufficiat commemorasse quam misere neglecta sit ἠθοποιΐα, quae dicitur, qua arte praeter ceteros Lysiam excellere satis constat [2]), nusquam enim persona loquentis accuratius exprimitur, nusquam formam induit [3]). Et quae legimus apud v. d. Franckenium [4]) rectissime disputata, eam esse proprietatem stili Lysiae ut simplicitatem in argumentis affectet: „cum ita simplex ac paene εὐήθης videatur, ut consopiatur suspicio calliditatis atque calumniae", nonne sola idonea sunt ad refutandum Gleinigerum?

Deinde Lysiae proprium est eandem rem et affirmative et negative proferre, qua dicendi ubertate Homeri exemplum secuti praeter alios utuntur tragici (cfr. Eurip. Med. 589. Lys. IV. § 13), compluria participia conjungere, quibus includatur oratio, porro figuras rhetoricas aposiopeseos, epanalepseos frequentius adhibere, quae omnia desunt in orat. VIII; denique quod Pertzius vidit, Lysiam in nominibus hominum usurpandis omnino articulum omittere solere [5]), nihil pertinet ad nostram orationem, cui rei tamen non multum tribuerim. cfr. VIII. §§ 12, 14, 15.

Vel casu factum est vel consilio ut nonnullae ora-

---

[1]) Gleiniger l. c. p. 168. — [2]) Francken l. c. p. 1. — [3]) Quinctil. III. 8. 51. — [4]) Philologus a. 21. p. 350. 1864. — [5]) Pertz. l. c. I. p. 13.

tiones non Lysiacae irrepserint in codd. Quas ut eximerent ex corpore Lysiaco v. d. aetatis antiquae inde ab Alexandrina curabant, in quibus Dionysius Halicarnassensis et Caecilius eminent. At nusquam apud hos neque omnino apud veteres orat. VIII fit mentio. Quod eo majoris videtur esse momenti, quo acutiores fuerunt veterum oculi ad investiganda vitia librariorum et quo major orationum copia iis suppetebat ad cognoscendum scriptorem idonea. Itaque quod nusquam apud veteres orationis mentio fit neque ullus ejus locus usquam laudatur, jam antiquitus de fide orationis dubitatum esse erit concedendum.

Jam ut finis imponatur quaestioni, pro multis haec habe obscuritate tenebrisque obruta:

§ 1. *τιμήσειν, καίτοι.* —
§ 2. *ἐναντίον τῆς ἐλπίδος.* — *πορίσηται.* —
§ 4. *καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ ὥστε.* —
§ 5. *σκαιοτάτους.*
§ 7. *οὗτος ἐξεῦρεν.* — *ὑπερευδοκιμοῦντας.* — *πολυφίλους.* —
§ 8. *καὶ ταῦτα δ', ὅτι πρὸς τοὺς τελευταίους ἔλεγεν, οὐδὲν ἂν περαίνοιτε.* —
§ 9. *ξυμβαίνει γὰρ καὶ ταῦτα τοῖς πρὸ τοῦ.* —
§ 10. *μαχόμενον κάμνοντα τὸν ἵππον.* —
§ 11. *εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἢ που καλῶς συνέπραττον.* — *φιλοσοφοῦντας.*
§ 12. *καὶ ταῦτα τί με δεῖ φανερώτερον ἐξελέγχειν ἔτι;*
§ 13. *ἐκλέγειν.* —
§ 14. *ὑμᾶς.* —
§ 15. *μετὰ τοῦτον.* —
§ 16. *ἐλευθεριώτερόν με κακῶσαι.* —
§ 17. *παρακαταθήκην.* — *ἀπόθετος.* —
§ 18. *ποθέσομαι.* — *τὸν λέγοντα.* —

§ 19. ὡς εὔνους ὄντες, τὸ μὲν οὖν ἐμόν. — τρέπεσθε. Atque etsi enunciationes nonnunquam liberius et laxius conjungit orator, tamen sic nusquam modum transgreditur. Et quae Dionysius (cap. 2) testatur Lysiam semper eligere verba maxime rei cujusque propria, constructiones vere atticas, periodos elegantissimas, frustra hic quaesieris. Quae cum ita sint, propter ingentem et antithesium et ἅπαξ λεγομένων molem, propter circumscriptionum molestias, propter deficientes allocutiones, propter compositionis injucunditatem, propter transitus defectum, orationem octavam rebus perversissime dictis et ab usu Lysiae abhorrentibus scatentem et omnino inanem, praesertim cum nusquam apud veteres ejus fiat commemoratio, a Lysia abjudicamus. Hoc tamen videtur addendum esse. Scheibius p. LXXX edit. sec. dicit judice Spengelio hanc orationem ante anarchiam i. e. ante Ol. 94, 1, sive 404 ante Chr. n. confectam esse, quocum Scheibius, qui eam ipsi Lysiae tribuit, consentire videtur. Tota res ad unum virum redit, qui in § 14—16 saepius nominatur, ad Thrasymachum. Qui si est Thrasymachus ille sophista, sequitur hanc orationem Lysiae ipsius tempore confectam esse. Nam Thrasymachus Chalcedonius paulo post Ol. 94, 1. Athenis periit, ut recte interpretes ad Juvenalis Sat. VII. 203; cfr. F. V. Fritzsche, ‚de numeris orationis solutae‘ 1875, p. 4. At incertum est utrum sit ille sophista, an vir ab eo diversus. Postremo Dobreus putat hanc orationem esse habendam pro epitome. Comparat autem contra Theomnestum secundam sive orat. XI, quae et epitome est orat. X, neque a Lysia sed multo post ab alio confecta, ut recte Scheibius. Itaque jam Dobreus nostram orationem VIII ab ipso Lysia scriptam esse negavit. Quae si pro seriore epitome orat. Lysiacae habenda est, tum sane ille Thrasymachus, qui § 14—16 saepius nominatur, fuisse potest

Thrasymachus sophista i. e. Chalcedonius. De qua re nihil audeo decernere. Satis est, hanc orationem, qualis quidem nunc est, Lysiae vindicari nullo modo posse.

II.

Morbus ille perniciosus, qui tamdiu inter v. d. saeviit quamdiu fuerunt v. d., quamquam partem pristinae violentiae deposuit, tamen grassari pergit, dico in arte critica factitanda temeritatem, nimiam fiduciam, negligentiam et incuriam, praejudicatas opiniones. Neque vero fore ut quae aegrotos illos sanare possint medicamenta usquam componantur magnam spem concipere poterimus. Quibus ex vitiis v. d. cum in alios scriptores veteres, tum in oratores atticos magna labes defluxit. Quo enim corruptiores sunt codd., qui decem oratorum scripta comprehendunt, eo integrius criticorum studium et judicium efflagitant, qua in re saepius peccatum est. Plerique vero id recte sentiunt sibi redeundum esse ad ipsos fontes codicum, ex quibus quae orationibus saluti esse possint hauriant. Quae cum ita sint, codd. singulos vel codd. familias diligentissime esse pervestigandas apparet, ut cognita inter familias consanguinitate qui potissimum codd. quasi fundamentum quaestionibus sint subjungendi intelligatur. Atque in Lysia duo potissimum codd. praecipua v. d. laude floruerunt, dico Laurentianum C et Heidelbergensem X, quorum C Imm. Bekkero tam egregius esse visus est, ut innumeris fere locis verba Lysiae ejus unius fide usus vel aliter collocaret vel mutaret [1]).

Quem v. d. et insigniter de antiquitate meritum non item sequuti sunt caeteri. Cum enim primus Sauppius [2]) collationem cod. Heidelberg. diligentissime confecisset et

[1]) Orat. Att. ed. Baiterus et Sauppius. Praefatio.
[2]) epistola critica ad God. Hermannum 1841.

lectiones utriusque cod. comparasset in contextu conformando ad cod. X verba inprimis esse redeundum constituit. Itaque exstiterunt v. d., qui novas collationes cod. X accuratissime perficere studerent. Et Kayseri quidem collationem sequutus est Scheibius in editione; deinde Lampros [1]) ex parte corrigenda esse quae a Kaysero collata erant cum sibi persuasisset, de integro perlustravit cod. eumque examinavit. Tamen Lamprosii collatio errores Kayseri non ad unum omnes sustulisse et correxisse videtur, cfr. Herm. an. XI. 2, quo loco Schoellius et nova addit ad collationem Lamprosii et falsa corrigit. Ex omnibus his collationibus ad nostram quoque orationem aliquid redundat, etiamsi pleraque non idonea videantur ad graviores errores tollendos. Itaque suo quaeque loco laudabuntur. Jam vero ad singula transeamus.

Atque quae in fronte orat. VIII sunt posita propter vocabula *συνουσιαστής* et *κακολογία,* quae apud oratores atticos nescio an unquam legantur, postea addita videntur. Neque erravit Dionysius sic disserens de fide et natura *ἐπιγαφῶν· εἰ μή τις ἔμπειρος πάνυ τῶν ἀνδρῶν* (Isaei et Lysiae) *εἴη — οὐκ ἂν διαγνοίη ῥᾳδίως πολλοὺς τῶν λόγων, ὁποτέρου εἰσίν, ἀλλὰ παρακρούσεται ταῖς ἐπιγραφαῖς, οὐδαμῶς ἀκριβῶς ἐχούσαις* [2]).

> *Ἐπιτήδειόν μοι δοκῶ καιρὸν εἰληφέναι περὶ ὧν εἰπεῖν ἐβουλόμην πάλαι. πάρεισι μὲν γὰρ οἷς ἐπεγκαλῶ, πάρεισι δέ . . . .;*

ἐπιτήδειον καιρὸν λαμβάνειν hanc vere graecam locutionem et apud Lysiam et apud alios scriptores graecos usitatissimam fuisse scimus. cfr. Lys. XIII. § 6. Luc. Tim. 13. — verbum *ἐπεγκαλεῖν* summam dubitationem v. d. movit adeoque multis displicuit ut aut emendandum aut omnino

---

[1]) in diar. Hermes X. 1876, p. 257. — [2]) Dionys. Hal. de Isaeo 1.

delendum censerent. Hoelscher [1]) scribere maluisse videtur ἐγκαλεῖν, quod Scheibius probat „cum Lysias simplicia verba eligat", sed oratio neque ex usu Lysiaco metienda est, et ipsam rem Hoelscherum fefellisse exemplis satis multis supra docuimus. Geversio [2]) emendatio Hoelscheri non idcirco improbanda erat quod deest accusativus rei, quem saepissime deesse satis constat. cfr. V. § 3. XIX. § 55. Isocrat. XII. § 101. —, quamobrem Herverdenium [3]) vitupero orat. V. § 3 in contextum οὐδέν inserentem: οὐδεὶς οὐδὲν πώποτε ἐνεκάλεσεν. Ego verbum integrum servare maluerim. Etsi enim sit forma inusitatissima, qua quod sciam oratores attici numquam usi sunt, tamen propter verba quaedam similiter composita permutare vel delere nolim; neque enim constructio neque notio sunt offensioni. cfr. Thucyd. IV. 34 ἐπεκθέω. Xenoph. Hell. VI. 2. 21. ἐπαναστρέφω. IV. 4. 17. ἐπεκτρέχω. Lys. X. § 2. ἐπεξελθεῖν, XXVII. § 15. ἐπαναγιγνώσκειν, ἐπεκθεῖν, ἐπανάγειν, ἐπεκχαίνειν, ἐπεγγελᾶν cett. Notio verbi ἐπεγκαλεῖν iteratur et augetur insequenti verbo μέμψασθαι, quod eandem praebet constructionem grammaticam. Quae res Hoelschero dubitationem movisse videtur qui: ‚μέμψασθαι τοῖς ἀδικοῦσιν pro τοὺς ἀδικοῦντας vix apud Lysiam reperias'. Quod ut in re non forensi nego — ceteri scriptores attici verbum μέμφεσθαι cum dativo saepissime conjungunt. cfr. Demosth. XIX. 38. Quod eadem res bis hoc loco iteratur verbis ἐπεγκαλεῖν et μέμφεσθαι non est offensioni. Jam enim Plato [4]) haec Lysiae objurgat: καὶ οὖν μοι ἔδοξε δὶς καὶ τρὶς τὰ αὐτὰ εἰρηκέναι cfr. I. §§ 17, 25, 29, 37. — XIII. § 22. — XXVII. §§ 5, 7, 15. — XXX. §§ 23, 24, 25. —

---

[1]) Hoelscher de vita et scriptis Lysiae orat. p. 72. — [2]) Geversius comm. d. Lys. epitaph. auctore p. 17. — [3]) Herverden Analecta crit. ad Thucyd. Lys. Ultrajecti 1868. — [4]) Plato Phaedr. 235. A.

καίτοι πολλῷ πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας.

Ne haec quidem verba macula vacare primo jam obtutu apparet. Malim hoc loco abesse *καίτοι* quod et otiosum est et absurdum. Atque omnes v. d., qui onus critici susceperunt ad locum emendandum et ita sanandum ut intelligere eum possimus, ne acutius quam verius conjecturas condiderint vereor. Franckenius[1]) locum ita tentavit ut pro *πρὸς τοὺς παρόντας* scribendum putaret *πρὸς τούτους,* quo orator respiceret ad *συνουσιαστάς;* quae conjectura minuit difficultatem neque tamen tollit, nam quid sibi velit particula *καίτοι* non apparet. Gleinigerus[2]) scripsisse Lysiam putat: *καίτοι πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς δικάζοντας,* quod ipsi temerius conjectatum esse videtur dicenti: ich beruhige mich bei *δικάζοντας.* Sufficiat ad refellendum Gleinigerum ad Buermannum refugere, qui nuperrime dilucide explanavit orationem VIII. non esse habitam apud judices, quorum nulla fiat mentio, sed hoc unum spectare oratorem ut coram amicis et inimicis demonstret quibus rebus sit adductus ut usum eorum sperneret. Necopinato orator ab se defendendo ad inimicos accusandos ducitur, neque tamen habemus orationem accusatoriam. Et haec concedimus Buermanno; sed ejusdem conjectura valde displicet. Proponit enim *καίτοι πολυπείρων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας*[3]). *Πολυπείρων* vocabulum cum sit inusitatissimum (occurrit h. Cer. v. 297 conjunctum cum *λαός*), tum notionem, quam Buermannus ei impertit quod sciam nusquam habet, ubique significat, multiplex et late diffusum! — In vocabulo *καίτοι* mendum delitescere neminem fugit. Conferas XII. §§ 81, 82 *οὗτος μὲν γὰρ κατήγορος καὶ δικαστὴς αὐτὸς ἦν τῶν γενομένων,*

---

[1]) l. c. p. 62. — [2]) l. c. p. 158. — [3]) l. c. p. 370.

ἡμεῖς δὲ νυνὶ εἰς κατηγορίαν καὶ ἀπολογίαν καθέσταμεν. καίτοι οὗτοι μὲν τοὺς οὐδὲν ἀδικοῦντας ἀπέκτειναν κ. τ. λ. Ex correctione Dobraei critici pro καίτοι οὗτοι receperunt καὶ οὗτοι; porro idem καίτοι cum καὶ permutatum invenitur XXV. § 13 καίτοι διὰ τοῦτο πλείω κ. τ. λ. — III. § 39 quo loco pro codd. lectione καίτοι οἱ ex conjectura Halbertsmae [1]) nunc est καί οἱ. Atque saepius codd. particulam καίτοι et copulam καί confundunt. Accedit quod — ut supra commemoravimus — orationis scriptor usum copulae καί frequentat; porro καί magis est indignantis, quod cadit in nostrum locum, καίτοι simpliciter opponentis [2]). Itaque non justo audacius conjecisse mihi videor si pro καίτοι scribendum proposuerim καί. Ceterum, cum post comparativum πλείων deesse aliquid appareat, lacunam sic fere explendam puto: καὶ πολλῷ πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας [φίλους ἢ πρὸς τοὺς συνουσιαστάς] h. e. atque ardor meus multo magis ad vos pertinet amicos quam ad vos, quos calumniarum sum accusaturus, nam cet.

τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν.

Nemo fere inter recentiores editores verbum τιμήσειν intactum praetermisit. Quod Reiskius ingeniose, ut solebat, conjecit προτιμήσειν, nisi durissima ellipsi firmari nequit. Saepissime sane post verba affectuum ut θαυμάζω, δεινόν, αἰσχρόν, ἀγανακτῶ cet. scriptores attici εἰ ponunt pro ὅτι: Xenoph. Mem. 2, 3, 9. θαυμαστὰ λέγεις εἰ κ. τ. λ. Aesch. Tim. 85. Quod tamen num pertineat ad verbum προτιμᾶν valde dubito. Kirchner [3]) nuper audacius in haec verba grassatus est haec proponens: τοὺς μὲν γὰρ οὐδεμία αἰτία λήσει, ad cujus partes vix quemquam trans-

---

[1]) Lect. Lys. scrips. Tiallingius Halbertsma 1868. — [2]) Vindiciae Lys. Scheibe p. 93. — [3]) Kirchner l. c. p. 7.

iturum puto. Nam ne dicam de violenta verborum mutatione, nullo modo intelligitur quae causa his verbis: „rei nullam causam ignorabitis, si in posterum necessariis meis inimici esse videbimini", contineatur cur majore studio amicos quam reos alloquatur orator. Gleiniger [1]) locum facilem expeditu ratus in conjecturam Scheibii ac suam incidit: „τιμήσειν passt nicht; man hat also zu sagen, zur Zeit des Excerpenten war das verbum τιμᾶν in eine schwächere Bedeutung übergegangen, etwa gleich μελήσειν geworden". De quibus nihil opus est plura dicere. Emperius conjecit: τοὺς μὲν γὰρ παρ' οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν, quocum faciam, an cum Scheibio τοῖς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι μελήσειν proponente dubito.

εἰ τοῖς ἀνεπιτηδείοις ἀνεπιτήδειοι δόξουσιν εἶναι.

Taylorus primus pro ἀνεπιτηδείοις, quod praebent codd. ad unum omnes, librariorum vitio correcto ἐπιτηδείοις scripsit, cui obsequendum est.

ὑπὸ τούτων ἀδικεῖσθαι πρότερον.

In his haesit Gleiniger enunciationis partem vocabulo πρίν incipientem deesse suspicatus. At mihi de mendo verba non videntur suspecta, cum adverbialem vocabuli πρότερον usum saepissime inveniamus. Xenoph. Anab. I. 7, 8. Herod. IV. 45. Fortasse malis cum Cobeto πρότερος [2]), qui idem [3]) IV. § 15 pro πότερον πρότερον ἐπλήγην ἢ ἐπάταξα proposuit πρότερος, quod receperunt editores. Et haec conjectura magis arridet, cum antecedat πότερον, ad quod vocabulum oculi librariorum fortasse aberraverunt.

ἐναντίον τῆς ἐλπίδος κακῶς πάσχω.

Suspectum est ἐναντίον, significat enim — cfr. § 1

[1]) Gleiniger l. c. p. 176. — [2]) Cujus conjecturae auctorem fuisse video Hertleinium. Progr. d. Gymn. z. Wertheim 1862. — [3]) Cobet. Var. lect. p. 206.

ὧν ἐναντίον, XVII. § 10 — ‚coram‘, quae notio ab nostro loco aliena est. Exspectavimus παρ' ἐλπίδα ‚praeter spem‘. Quod Franckenius censuit ἐναντίον, dummodo κακῶς omittatur, ferri posse duram constructionem non reddit molliorem. Gleinigerum ad errorem librarii iterum confugere non est mirum.

πρῶτον μὲν οὖν, ἵνα μή τις ὑμῶν τάχα δὴ βοηθῶν οἷς ἐξημάρτηκε πρόφασιν ποριίσηται τῆς ἁμαρτίας.

Quod πρῶτον μὲν οὖν caret sequenti ἔπειτα δέ ut in oratione non est offensioni. cfr. IX. § 3. XIII. § 29. Jam vero totam verborum constructionem illam quidem durissimam aggrediamur. Verba τάχα δὴ βοηθῶν in cod. G post οὖν scripta Cobetus ut additamentum graeculi cujusdam exterminanda censuit. Sane deesse possunt, sed auctoritate ceterorum codd. firmantur. Scheibius suspicatus est: τάχα δὴ βοηθῶν τούτοις (incusatis) οἷς (quibus rebus) ἡμάρτηκε; quam conjecturam debilem refutandam puto. Cum enim τούτοις ad aliud spectet ad aliud οἷς, tantum abest ut loci obscuritas tollatur, ut valde augeatur. Neque cum Kirchnero τῆς ἁμαρτίας deleverim — πλεοναζόντως enim plurima in oratione nostra sunt dicta, cfr. insequentia haec τὶς ἐμοῦ δεηθεὶς κἀκεῖνος ἐπήγγειλε, neque haec aliena ab usu Lysiaco [1]) cfr. I. §§ 17, 25, 29, 37, XIII. § 22, XXVII. §§ 5, 7, 15, XXX. §§ 24, 35. Sed codd. lectionem eam quidem duram et contortam tueor comparans X. § 32 βοηθήσατε τοῖς ὅρκοις, οἷς ὀμωμόκατε.

εἰπάτω οὖν τὶς ὑμῶν.

Bekkerus unum cod. C. sequutus alterum οὖν post εἰπάτω propter alterum antecedens πρῶτον μὲν οὖν expunxit. Similis particulae repetitio hic illic apud scriptores

---

[1]) Plat. Phaed. 235. A.

atticos occurrit, e. gr. Thuc. I. 8. *πάντων οὖν τούτων λογισμῷ καὶ προνοίᾳ ..... μεταπεμψάμενος οὖν κ. τ. λ.* — Cobetus scripsit *εἴπατε*, sed cum *ἐνοχλεῖ, ἐποιήσατο* subsequatur probabilius videmur codd. lectionem retinere posse et ex insequenti pronomine interr. *τίς* assumere indef. *τις*.

καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν.

Locus est corruptissimus. Exstiterunt qui trium verborum *ἐνοχλεῖ, ἐποιήσατο, ἔλεγε* numerum mutantes haec scribere mallent: *ἐνοχλεῖτε* (vel melius propter *ἐποιήσατο, ἠνωχλεῖτε*), *ἐποιήσασθε, ἐλέγετε*. Quo quid incertius! Omnia haec ad calumniatorem referenda esse ex solo verbo *ἐνοχλεῖ* apparet, quo minime ad nuntium illum conversus uti potuit, de quo § 9 dicit *ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐμοὶ χαριζόμενος*. Erravit igitur Augerus. Facile praesumptione quadam facta calumniatorum principem, in quem postea acrius invehitur (§ 10) Diodorum hic spectat orator. *Καίτοι* opponentis cum sit ab hoc loco alienum est; pro *καίτοι οὕτως* scribere maluerim *καί μοι οὕτως*, sic et bene omnia cohaerent et verbi constructio plenior servatur. In codd. haud raro forma *καίτοι* male pro *καί μοι* irrepsit. cfr. X. § 14 ubi Marklando nuperrime editores omnes assensi sunt pro *καίτοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον καί μοι α. τ. ν.* scribentes. Idem valet de Lys. XII. § 81. Cobetus inserto articulo dedit *περὶ πλείονος ἐποιήσατο τὸ δοκεῖν*, quo additamento opus esse nego. cf. Demosth. XIX. 184 *περὶ πλείονος ἐποιοῦντο τὴν τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίαν διατηρεῖν*. Lys. XXXI. § 18. Denique verba *καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν* sunt tentanda. Antecedens *περὶ πλείονος* ut sequatur aut *ἤ* aut Genetivus flagitat. Itaque ex Foertschii conjectura insertum est ante *καὶ μᾶλλον* voc. *ἤ*, sed sic non tollitur

difficultas, quam *μᾶλλον* vocabulum justa oppositióne carens movet. Neque conjecturae hae, quas approbemus dignae videntur. Emperius *καίτοι οὗτος, ὃν ἐνοχλεῖν ᾤεσθε, περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατεῖπεν* proponens, antithesin usitatissimam apud oratorem nostrum figuram delet, ne dicam de impeditissima constructione. Franckenius (p. 63) maluit *πρὸς ἄλλους ἐμοῦ κατειπεῖν* vel ut propius ad librorum lectionem accedat *ἢ οἱ ἄλλοι ἐμοῦ κατειπεῖν*. Neque sententia quae ex Kirchneri conjectura: *ἢ ἄλλων μὴ κατειπεῖν* — oritur apta et idonea videtur. Buermannus (p. 354) scribit *καὶ τοιούτως ἐνοχλεῖν*. At *τοιούτως* cum sit forma in florentissima aetate graec. lit. inusitatissima, non cadit in nostrum locum. Buermannus proclivis esse videtur ad formas seriores usurpandas cfr. emendationem § 1 *πολυπείρων* pro *πολλῷ πλείων;* sed ratio critica, quam iniit in contextu conformando p. 357: „die Richtigkeit der Emendation ist um so zweifelloser, als der Sprachgebrauch der ganzen Rede anerkanntermassen auf Classicität keinen Anspruch macht“ — abducit ad libidinem et licentiam. Fortasse sic scribendum: pro *καὶ μᾶλλον ἐμοῦ* — *ἀλλ' ὅμως,* deinde infinitivo *κατειπεῖν* in verbi finiti formam mutato *κατεῖπεν,* nova nascitur oratio, quae et grammatice constare potest et quod attinet ad rem et nexum optime ad antecedentia respondet. Verbum *κατειπεῖν* genetivum non efflagitare apparet ex Herod. II. 89. Denique verba *περὶ πλείονος* corrupta sunt. Nam *περὶ πλείονος* pro simplici *περὶ πολλοῦ,* quod desideramus, usurpari nequit, neque tamen quod cum verbo *ποιεῖσθαι* conjungi possit exstat. Tota oratio temporum iniquitate depravata est, unde in hunc quoque locum labes fluxit. Itaque sic scribendum propono: *καί μοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πολλοῦ ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, ἀλλ' ὅμως κατεῖπεν.*

ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ ταῦτα, δόξαιμι.

Sic codd. ex collatione Kayseri, quam Scheibius editioni suae subjecit, sed erravit Kayserus, nam Palatinus ex observatione Lamprosii vocabula sine interpunctione praebet [1]). Cobetus scripsit *διέξειμι*. Aliam viam ingressus est Marklandus, quocum Scheibius dedit: *ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ, ταὐτὰ λέξαιμι*, in quo et distinctione offendor, — optime enim *ταῦτα* cum *ἐλέγετε* cohaeret — neque vero sine causa *ταῦτα* in *ταὐτά* mutari debuit. Quare ne Emperius quidem, a quo stat Westermannus, scribere debebat *ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ ταὐτά, λέξαιμι*. Sed uno verbo *δόξαιμι* mutato cetera orationi reddantur: *ὅτι ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ ταῦτα, λέξαιμι*. In quo Kirchner non acquievit propterea quod verbum *λέγειν* ter deinceps repetitum esset, itaque audacius haec proposuit: *λήξαιμι*, atque ne claudicarent sententiae, insequentia *καὶ γάρ* mutat in *τάχ' ἄν*, quod violentius additum est. Oratorem nostrum quasi ludere in usu verbi *λέγειν*, quod vicies septies occurrit, jam supra docuimus. Buermannus *ταὐτά* proponit quod sequatur *καὶ γάρ*, quod non video quomodo quadret ad rem. In enunciatione subsequenti solam lectionem *εἴπερ ὑμῖν ταὐτὰ λέγοιμι* esse probandam libentissime concedo. Atqui sententiam non vocarim cum Buermanno jejunam: „Man bringe aus einem Redner einen so kindischen Satz wie § 4 *καὶ γὰρ ἂν ἀπολύοιμι τῆς αἰτίας ὑμᾶς, εἴπερ ὑμῖν ταὐτὰ λέγοιμι περὶ ἐμαυτοῦ* scil. *ἅπερ ὑμεῖς*. Hoc est latine: Nam si eadem, quae vos in me jecistis, verba in me dicerem culpam vobis remittere viderer. Sane non elegantissime dicta, sed minime pueriliter! — Itaque *δόξαιμι* mutato in *λέξαιμι* codd. lectionem servabimus.

---

[1]) in diar. Hermes X. 1876 p. 257.

εἴπερ ὑμῖν ταὐτὰ λέγοιμι περὶ ἐμαυτοῦ.

Solus Kirchner in his haesit addens post λέγοιμι — ἅπερ ὑμεῖς. De ellipsis usu supra disseruimus. Ceterum de lectione cod. C ταὐτά meliore quam codd. X. D. G. O. non dubitandum.

οἵτινες μὲν ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον.

Sic codd. Bekkerus particulam μέν uncis inclusit cum δέ deficiat. Cobetus quod elegantissime μέ pro μέν emendavit, vix utpote in subditicia oratione necessarium videtur. Saepissime desideratur particula δέ, quae respondeat antecedenti μέν. cfr. X. § 15 ὑμᾶς μὲν πάντας εἰδέναι ἡγοῦμαι ὅτι ἐγὼ μὲν κ. τ. λ. — XII. § 5 ἐπειδὴ δ' οἱ τριάκοντα πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, φάσκοντες χρῆναι τῶν ἀδίκων καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν. Similiter particula μέν carens opposito δέ excruciavit editores Xenoph. Mem. I. 2. 2. ἀλλ' ἔπαυσε μὲν τούτων πολλοὺς κ. τ. λ., ubi Schneider conjecturam fecit ἔπαυσε μήν, eodem modo res sese habet his locis: Dinarch. III. 5 [1]), Demosth. [2]) Olynth. III. 8, Soph. Phil. 827 [3]), Aesch. Tim. 142, ubi Reiskius conjecit λέγε δέ pro λέγε γάρ. Accedit quod saepissime correl. δέ in oratione subauditur, cujus rei exempla collata sunt a Fritzschio in Quaest. Luc. p. 112. At ut redeamus unde aberravimus, cum de compositionis arte orationis VIII haud eximia jam supra disseruerimus, ex errore vel oratoris vel librarii irrepsisse μέν putamus eamque ob rem delevimus. Itaque ita scribo: οἵτινες ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον τὸν αὐτὸν ἄνδρα λάθρα μὲν ἐλοιδορεῖτε, φανερῶς δὲ φίλον ἐνομίζετε.

καὶ μὴν οὐδὲν οὗτος ἐξεῦρεν.

Sic cod. Pal. ex observatione Kayseri. Falso ut

---

1) Maetzner quaest. l. l. — 2) Franke quaest. l. l. — 3) Buttmann quaest. l. l.

ostendit Lamprosius, qui dat lectionem hanc: *καὶ μοὐδὲν οὗτος ἐξεῦρεν*. Sed etiam Lamprosium errasse cognovit Schoellius haec eruens ex cod. *μὴν οὐδὲν*, quod sit correctum ab librario ex *μηδέν*. Apparet talem correctionem habere vim justae lectionis, dummodo ab eodem librario videatur esse profecta, quod agnoscitur ex ductu praecipue. — Corruptissimus locus haec expressit Pertzio „non intelligo sub his vocibus quae sit subjicienda sententia.“ Reiskius opinatus est pro *οὗτος ἐξεῦρεν* scribendum esse *τοιοῦτον ἐξεῦρον* et haec legimus in editione Bekkeriana. Scheibius [1]) putabat *οὐδὲν οὕτως ἐξεῦρον* q. v. „atqui hac ratione i. e. a vobis non admonitus, nec aperte (*φανερῶς*) a vestra amicitia prohibitus quidquam invenire poteram, unde concluderem quid esset quod meam sperneretis consuetudinem.“ Sed in novissima editione Lysiae Scheibius aliam medelam adhibuit sic scribens: *οὐδὲν αὐτὸς ἐξεῦρον*. Fortasse pro *οὗτος* scribendum est *οὑτοσί*, et respicit orator ad amicorum quendam praesentem, quem sciebat imbutum re et institutum —: atqui mihi amicissimus nihil investigare potuit unde concluderet, quid esset quod meam sperneretis consuetudinem. — Simili modo supra § 3 *εἰπάτω* dictum est.

οὐδ' αὖ πλουτοῦντας, ἐμὲ δὲ πενόμενον,
οὐδ' αὖ ὑμᾶς μὲν ὑπερευδοκιμοῦντας, ἐμαυτὸν δὲ διαβεβλημένον.

Scribe ex conjectura Scheibii ante *πλουτοῦντας* (quod verbum apud orat. att. nusquam occurrit) *ὑμᾶς μέν*, ne desit alterum oppositionis membrum. Facile haec omissa sunt ab librario: nam eadem vocabula *οὐδ' αὖ ὑμᾶς μέν* insequntur.

---

[1]) Scheibe observ. p. 56.

καὶ ταῦτα δ' ὅτι πρὸς τοὺς τελευταίους ἔλεγεν, οὓς ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν ἡμῖν, κἀνταῦθα σόφισμα καλὸν εἶναι.

Nullus inter editores huic codd. lectioni patrocinatur, nam non ab uno mendo est liberanda. Sententiam apertissimam ad intelligendum esse concedo, sed quid sibi vult *τοὺς τελευταίους*, quid *ἔλεγεν*, quid positive dictum *οὓς ᾤεσθε*? Cobetus qui Sauppium sequutus dat: *καὶ ταῦτα δ', ὅτι πρὸς τοὺς τελευταίους ἐλέγετε, οὐκ ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν ἡμῖν, κἀνταῦθα* (*καὶ ταῦτα* Saupp.) *σόφισμα καλὸν εἶναι*, verum assecutus esse vix videtur, quorsum enim spectat *τελευταίους*? Ingeniose tamen pro *οὓς οὐκ* scripsit, nam dilucide apparet ex § 9 *ἔπειτα κακὸς ἂν εἴην, εἰ ταὐτὰ ποιήσαιμι αὐτὸν ἅπερ ἐκεῖνος ὑμᾶς* amicos spem certam habuisse oratorem nunquam auditurum esse neque calumnias neque malitias. Itaque negativam elocutionem efflagitamus. Atque *ἐλέγετε* Cobeto debemus. Franzius pro *τελευταίους* voluit *ἐπιτηδείους*, Scheibius *ἀναγκαίους*. Dobreus ut succurrat labanti *τελευταίους* scribens *πρὸς τούτους τελευταίους κ. τ. λ.*, cum vocabulum quod substituam pro *τελευταίους* in promptu non habeam, in suas partes me ducit. Atque alius alia proposuit. Quod Buermannus sibi persuasit scribendum esse pro *κἀνταῦθα* — *κἀντεῦθεν* „weil es erst aus ihrer Handlungsweise oder vielmehr daraus, dass der Sprecher nichts davon wieder erfährt, sich ergiebt, nicht aber schon selbst darin liegt", argutius esse emendatum neque quadrare ad sonum totius orationis nemo non videt. Interrogationis signum ponendum est post *ὁμιλεῖτε*, nam ex superioribus subaudiuntur *πόθεν ἂν ὑπώπτευον;* Deinde post *οὓς* fortasse excidit *οὐκ*, quod idem § 17 *κατὰ τί δὴ ταῦτα οὐκ ἐφυλαττόμην* conjectura in contextum irrepsit. Denique cum Dobreo *τοὺς* in *τούτους* mutantes haec orationi reddimus: *καὶ ταῦτα*

δ' ὅτι πρὸς τούτους τελευταίους ἐλέγετε, οὓς οὐκ ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν ἡμῖν, κἀνταῦθα .... ὁμιλεῖτε; —

πρῶτον μὲν γὰρ εἰδότες κ. τ. λ.

Gleiniger falso haec habet suspecta quod absit alterum membrum ab ἔπειτα vel εἶτα incipiens, nam sequitur ἔπειτα § 9. Jam cum de hoc πρῶτον μέν agamus, illud πρῶτον μέν § 20 tangamus, quod ex Buermanni opinione ad ἐλάχιστα respondet; quam relationem non intelligo, neque quae Buermannum in conjecturam induxerunt: „denn nach seinem Austritt konnten die Genossen ihn — nicht in geringem Grade, sondern — überhaupt nicht mehr schlecht behandeln", justa et probabilia videntur. Fortasse cum Kirchnero pro πρῶτον μέν scribendum est πρῶτος et μέν insertum tribuendum scribae alicujus vitio: ὅτι πρῶτος ὑμῶν ἀπαλλαγεὶς ἐλάχιστα κακῶς ὑφ' ὑμῶν πείσομαι.

καὶ ταῦτα εἰ μὲν ἠπίστουν, ἐξελέγχειν ἂν ἐζήτουν· νῦν δέ —.

Νῦν δέ ut ex superioribus εἰ μὲν ἠπίστουν subaudiantur οὐκ ἀπιστῶ efflagitat; quod Kirchnero adeo displicuit, ut deleto γάρ post ξυμβαίνει νῦν δέ arcte conjungere maluerit cum ξυμβαίνει. Sane ellipsis justo gravior ut apud Lysiam, minime vero ut apud nostrum oratorem [1]. Quare nec de sua sede detrudi quidquam nec mutari debebat.

πρῶτον μὲν ἅπαντα δι' ὑμῶν πράξαντά με περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου προσῆγε μαχόμενον κάμνοντα τὸν ἵππον, ἀνάγειν με βουλόμενον Διόδωρος οὗτος ἀποτρέπειν ἐπειρᾶτο.

Periodus est lacunosa et male vincta neque non obscura. A quonam verbo pendet πράξαντά με? Reiskius defendit μαχόμενον ut de equo, qui in pugna sit defatigatus. Conjectura Emperii, qua vult μαχόμενον mutare

---

[1]) cfr. p. 7.

in *Ἡγέμαχος,* eo magis placet quod et subjectum desideratur, neque compositio nominis, quod sonat bellum, aliena est ab usu orationis. cfr. *Πολυκλῆς, Θρασύμαχος, Αὐτοκράτης, Εὐρυπτόλεμος.* Scheibius sic argumentatur: pone *ἵππου* et nomen ejus, de quo infra loquitur orator, et verbum, a quo accusativus *πράξαντά με* pendet excidit, tum *μαραινόμενον* in locum *μαχόμενον* substituit. Sed ad veritatem forsitan propius accedamus, si servata conjectura Emperii cum Buermanno *πράξαντά με* mutaverimus in *πράξαντί μοι,* deinde inserto ante *βουλόμενον* voc. *καί, με* post *βουλόμενον* contra Buermannum defenderimus: *πρῶτον μὲν ἅπαντα δι' ὑμῶν πράξαντί μοι περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου προσῆγεν Ἡγέμαχος κάμνοντα τὸν ἵππον, καὶ ἀνάγειν με βουλόμενον Διόδωρος οὑτοσὶ* (sic cum Cobeto, nam sermo est de eo, quem orator oculis vel digito designat) *ἀποτρέπειν ἐπειρᾶτο.*

καίτοιγε ἐφ' ὧν γε αὐτῶν κατηγόρουν. εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἢ που καλῶς συνέπραττον.

Vide quam inutilis et ingrata sit copia verborum, quae non nisi ex parte potest emendari. Buermannus quoque locum tentavit, sed vereor ne egregie erraverit, dat enim haec: *καὶ τότε ἔγωγε αὐτῶν κατηγόρουν. εἰ γ' ἄρα μετὰ τούτων δικαζομένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἢ που καλῶς συνέπραττον.* Literarum ductus et cod. et emendatae lectionis admodum inter sese sunt similes, at sententia, quae hac conjectura efficitur, ab argumentatione hujus loci alienissima est, neque haec conjectura ea potest continere, quae Buermannus sibi persuasit: darauf klagte ich sie an, wenn ich nun, mit ihnen rechtend oder disputirend, keine Gründe für meine Forderungen vorzubringen gehabt hätte, so hätte ich wohl daran gethan, mit ihnen zusammen zu operiren. Ut aliae etiam haec conjectura pro-

fecta videtur ab studio diligentissimo interpretis ostendendi et perficiendi nihil nostrae orationi inesse, quo sententiarum vinculum solvatur. Scheibius cum Dobreo *σφῶν γε*, idemque *διωκούμην περὶ τούτων μοι μηδέν* — vel *διωκούμην αἰτουμένῳ μοι μηδέν*. Franckenio placuit *εἰ γὰρ εἶπον ἐμοί, ἃ μὴ μετὰ τούτων ἀδικουμένου μου μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που καλῶς συνέπραττον*. non satis assequor quae Franckenius p. 64 de hac conjectura docuit. Et res adhuc vacillat. Emendatio, quam in promptu habemus, haec est, vocabula emendatae lectionis non ita multum distant a traditis, sententia quae nascitur, optime in rem cadit, constructio conversis vocabulis laborans plana tamen et dilucida servatur: *καίτοιγε σφῶν γε αὐτῶν κατηγόρουν. εἰ γάρ μοι τὰ παρὰ τούτων ἀδικούμενα μὴ ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που καλῶς συνέπραττον*. h. e. Attamen se ipsos accusabant; nam si mihi non licuisset calumnias, quas in me jecerunt, coarguere, profecto mea salute mecum egissent! ita ut *καλῶς* ironicum sit pro *κακῶς*.

καὶ διὰ τοῦτο ἀντέπραττον, ἵνα τὸν ἐμὸν λόγον εἰδείη Πολυκλῆς.

Emperius pro *ἀντέπραττον* flagitat *ἀντέλεγον*, quod sequatur *τὸν ἐμὸν λόγον*. Facile aberrarit librarius a verbo *ἀντιλέγειν* ad *ἀντιπράττειν*, sed nescio an forte rectius videatur lectionem codd. servare, nam inimici calumnias dicentes contra oratorem etiam agunt contra eum, itaque verbum *ἀντιπράττειν* quadrare puto ad *τὸν ἐμὸν λόγον*.

ἐπεὶ κέρδος ἦν αὐτῷ διαβάλλειν ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς οὕτω προθύμως ὥστε...

Emperius *ἤ τι* maluit, Baiter *ἔπειτα τί*. Libentissime cum Scheibio *ἔπειτα* defendo, praesertim cum Lamprosius ex cod. collatione haec det *ἐπεὶ* contra collationem Kay-

serianam, et Schoellius exemplis bene multis cód., de quo agit, dilucide explanarit: die übergesetzte Lesart ist meist zu empfehlen. Fortasse excidit α post duplicem accentum, quorum alter ex litera τ facillime depravari potuit. Itaque Scheibius verum vidit.

Egregie vero Cobetum errasse, eum quidem plerumque correctorem felicem, cognoscitur ex sententia lectionis, quam defendit: *οὐ γὰρ δὴ παρῆν τούτοις, ἐπεὶ κέρδος ἦν αὐτῷ διαβάλλειν ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς οὕτω προθύμως, ὥστε σπουδάσαι πρὸς τοὺς ἐμοὺς ἀναγκαίους πλάσασθαι ταῦτα.* Ego quidem a me impetrare non possum, ut hanc lectionem a maculis puram esse credam. Primum enim omnino non video quo jure enunciatio causalis ab *ἐπεί* incipiens conjungi possit cum illis: *οὐ γὰρ παρῆν*, nam deest vinculum sententiarum, sententia alienissima ab hoc loco; deinde cur deletum est signum interrogationis post *ταῦτα*? Denique cum Kirchnero nuperrime *ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς* mutante in *ὑμᾶς πρὸς ἐμέ* propitio animo facio, nam delator, de quo § 9 testatur orator *ἐμοὶ χαριζόμενος* nullo modo is putandus est qui oratorem ipsum sit criminatus.

γιγνώσκω δὲ νῦν ἤδη καὶ πάλαι ζητοῦντας πρόφασιν.

Scheibius vult *πάλαι* conjungere cum *ζητοῦντας*, *νῦν* cum *γιγνώσκω*, fortasse *καί* expungendum est. Veruntamen retinenda videtur vulgaris lectio neque puto *νῦν* ad aliud spectare ad aliud *πάλαι*, sed arcte ad superiora adhaerescunt. cfr. X. § 20 *νῦν τε καὶ πρότερον, νῦν τε καὶ πάλαι.* Gleinigerus requirit accusativum *ὑμᾶς*; rectissime hoc loco deest pronomen, nam et paulo antecedit *ὑμεῖς* et subsequitur: *διαβάλλειν ἐμὲ πρὸς ὑμᾶς, ἡνίκα Θρασύμαχον ὑμᾶς ἐφάσκετε κακῶς λέγειν δι' ἐμέ.* Atque vide quam inutilis sit copia verborum, quae sequuntur: *ἡνίκα Θρασύμαχον ὑμᾶς ἐφάσκετε κακῶς λέγειν δι' ἐμέ. καὶ ἐγὼ μὲν ἠρώτων*

αὐτὸν εἰ δι' ἐμὲ κακῶς λέγοι Διόδωρον· ὁ δὲ τοσοῦτον ὑπερεῖδε τὸ δι' ἐμέ. quae si brevius essent enunciata multo majorem vim habuissent.

ἐλευθεριώτερον κακῶσαι λέπτιδι οὐδέν X.

κακῶσαι λείπετε οὐδέν C.

ἐλευθέριος significat liberalis, *ἐλεύθερος*, quod maluit Cobetus, liber, et hoc et illud alienum ab h. loco. Atque offensioni est etiam casus, expectamus nom. plur. ut cohaereat cum verbo *λείπετε*, scribimus enim cum Scheibio *με κακῶσαι λείπετε ἤδη οὐδέν*. Fortassis *ἐλευθεριώτεροι*.

Extrema orationis pars gravioribus vitiis caret. Attamen § 17 ex Reiskii conjectura editiones novissimae inseruerunt *οὐκ* ante verbum *ἐφυλαττόμην*, atque *ἀλλ'* ante *ὡς εὖνοι ὄντες*. De verbo *ποθήσομαι* suspecto (Bekkerus dat cum cod. suo *ποθέσομαι*) nescio an Pertzius plura viderit quam oratio flagitat. Satis puerile est quod sequitur § 19 *τὸ οὖν ἐμὸν οὐκ ἐμποδὼν ὑμῖν ἔσται*. Paragrapho antecedenti Schoellius iterum aliam lectionem cod. dat atque Kayserus et Lamprosius, nam haec habet cod. *ἀντιδίκοις ι μαρτυρεῖτε*, atque uterque idem scribere vult, addit enim Schoellius: das Häkchen sicher kein *ε*, eher eine missverstandene Abbreviatur des ausgelassenen *καί*, itaque ne haec quidem magni sunt momenti.

Rectat locus corruptissimus, nam de *πρῶτον μέν* § 19 supra jam disputavimus.

εὔνους ὄντες.

Bekkerus, quem plurimi, excepto uno Scheibio, secuti sunt, emendavit *εὖνοι ὄντες*. Scheibius auctore Benselero (de hiatu p. 183) dedit *εὐνοοῦντες*, quam formam Cobetus constanti omnium attice loquentium usui repugnare ostendit, quare et XIII. § 13 et XXIX. § 10 codd. lectiones *κακονοοῦντες* et *εὐνοοῦντες* permutat in *κακόνοι ὄντες* et *εὖνοι ὄντες*; inspicias quaeso Soph. Ajacem v. 689.

Arist. Nub. v. 1411. Xenoph. Cyr. 8. 2. 1. Itaque Reiskii emendatio *εὖνοι ὄντες* praeferenda est, praesertim cum Benseleri de hiatu in nostra oratione non admisso argumentationen non omnino probandam esse supra exposuerimus.

Ex his quae supra dixi, apparet hanc orationem esse vehementer corruptam. Etiam hac de causa de vero auctore et de ejus aetate admodum difficile est judicare. Illud tamen certum videtur, ab Lysia eam scribi non potuisse. Dicerem rhetoris esse serioris, qui de falsa amicitia scribere poterat in universum. At ex iis, quae in § 10 de equo ejusque pigneratione narrantur, intelligi potest non de fictis sed de veris rebus hic agi. Itaque hoc unum dico, orationem post Lysiae tempora conscriptam esse.

Oratio ipsa videtur addenda esse, ut conjecturas quasdam meas inserere possim, quas supra nondum commemoravi. Tum scripta jam dissertatione mea alias ab amico conjecturas accepi, quas ipse fatetur incertas esse. Attamen etiam has suo quamque loco adjungere non dubito.

ΛΥΣΙΟΥ ΚΑΚΟΛΟΓΙΩΝ. § 1.

Ἐπιτήδειόν μοι δοκῶ καιρὸν εἰληφέναι περὶ ὧν εἰπεῖν ἐβουλόμην πάλαι· πάρεισι μὲν γὰρ οἷς ἐπεγκαλῶ, πάρεισι δὲ ὧν ἐναντίον ἐπιθυμῶ μέμψασθαι τοῖς ἀδικοῦσιν ἐμέ. καὶ [1]) *πολλῷ πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς συμπαρόντας* [2])· *τοῖς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι μελήσειν* [3]), *εἰ τοῖς*

---

[1]) *καί*; libri *καίτοι*. — [2]) *συμπαρόντας* amicus conjecit; libri *παρόντας*. — [3]) *τοῖς . . . . μελήσειν*; libri *τοὺς* — *τιμήσειν*.

ἐπιτηδείοις[1]) ἀνεπιτήδειοι δόξουσιν εἶναι (τὴν γὰρ ἀρχὴν
οὐδ' ἂν ἐπεχείρουν ἐξαμαρτάνειν εἰς ἐμέ), τοῖς δὲ βουλοίμην
§ 2. ἂν δόξαι μηδὲν ἀδικῶν τούτους ὑπὸ τούτων ἀδικεῖσθαι πρότερον.
ἀνιαρὸν μὲν οὖν ἀναγκάζεσθαι λέγειν περὶ τούτων,
ἀδύνατον δὲ μὴ λέγειν, ὅταν ἐναντίον τῆς ἐλπίδος κακῶς
πάσχω καὶ τοὺς δοκοῦντας εἶναι φίλους ἀδικοῦντας εὑρίσκω.
§ 3. Πρῶτον μὲν οὖν, ἵνα μή τις ὑμῶν τάχα δὴ βοηθῶν
οἷς ἐξημάρτηκε πρόφασιν πορίσηται τῆς ἁμαρτίας, εἰπάτω
οὖν τίς ὑμῶν ὑπ' ἐμοῦ κακῶς ἀκήκοεν ἢ πέπονθεν, ἢ τίς
ἐμοῦ δεηθεὶς οὐκ ἔτυχεν ὧν ἐγώ τε δυνατὸς ἦν κἀκεῖνος
ἐπήγγειλε. τί δῆτά με κακῶς τὰ μὲν λέγειν τὰ δὲ ποιεῖν
ἐπιχειρεῖτε, καὶ ταῦτα πρὸς τούτους ἡμᾶς διαβάλλειν, οὓς
§ 4. πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διεβάλλετε[2]); [*τί δὲ Διόδωρος μάλιστα ἡμᾶς διαβάλλει*];
καί μοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε
περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, *μᾶλλον*[3])
ἢ ἐμοῦ κατειπεῖν. ἃ δ' ἔλεγε, πάντα μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι·
καὶ γὰρ ἀκούων ἠχθόμην, οὐδ' ἂν ὑμῖν ἐπικαλῶν, ὅτι
ἐλέγετε κατ' ἐμοῦ ταῦτα, *εὐδοκιμεῖν δόξαιμι*[4])· καὶ
§ 5. γὰρ ἂν ἀπολύοιμι τῆς αἰτίας ὑμᾶς, εἴπερ ὑμῖν *ταὐτὰ*[5])
λέγοιμι περὶ ἐμαυτοῦ· ἃ δὲ ὑβρίζειν οἰόμενοι ἐμὲ καταγελάστους
ὑμᾶς αὐτοὺς ἐποιεῖτε, ταῦτα λέξω. βίᾳ γὰρ ὑμῖν
ἐφάσκετέ με ξυνεῖναι καὶ διαλέγεσθαι, καὶ πάντα ποιοῦντες
οὐκ ἔχειν ὅπως ἀπαλλαγῆτέ μου, καὶ τὸ τελευταῖον ἀκόντων
ὑμῶν Ἐλευσῖνάδε ξυνθεωρεῖν. καὶ ταῦτα λέγοντες οἴεσθε
μὲν ἐμὲ κακολογεῖν, ἀποφαίνετε δὲ σκαιοτάτους ἑαυτούς,
οἵτινες[6]) ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον τὸν αὐτὸν ἄνδρα λάθρα
μὲν ἐλοιδορεῖτε, φανερῶς δὲ φίλον ἐνομίζετε. χρῆν γὰρ

---

[1]) τοῖς ἐπιτηδείοις Taylorus; libri τοῖς ἀνεπιτηδείοις. — [2]) haec fere amico excidisse videntur. — [3]) libri καὶ μᾶλλον; priorem conjecturam meam nunc minus probarim, sequor potius Marklandum qui ita conjecit μᾶλλον ἢ —. nam de hoc ipso Graecorum usu Kühner auss. Gramm. II. p. 25 exposuit, qui Herod. I. 31 et multa alia ejusdem generis recte explicavit. — [4]) libri vitiose ταῦτα, δόξαιμι; amicus excidisse putat εὐδοκιμεῖν. — [5]) codd. X et DGO habent ταῦτα. — [6]) libri οἵτινες μέν.

ὑμᾶς ἢ μὴ κακῶς λέγειν ἢ μὴ ξυνεῖναι, καὶ ταῦτα φανερῶς § 6.
ἀπειπόντας ὁμιλίαν. εἰ δὲ αἰσχρὸν ἡγεῖσθε τοῦτο, πῶς
αἰσχρὸν ἦν ὑμῖν ξυνεῖναι, πρὸς ὃν οὐδὲ ἀπειπεῖν καλὸν
ἡγεῖσθε; καὶ μὴν οὐδὲν οἷός τ' ἦ ἐξευρεῖν[1]) ὁπόθεν § 7.
ἂν εἰκότως[2]) ὑπερείδετε τὴν ἐμὴν ὁμιλίαν. οὔτε γὰρ ὑμᾶς
σοφωτάτους ἑώρων ὄντας, ἐμαυτὸν δ' ἀμαθέσταιον, οὐ μὴν
οὐδὲ πολυφίλους ὑμᾶς, ἐμαυτὸν δ' ἔρημον φίλων, οὐδ'
αὖ ὑμᾶς[3]) μὲν πλουτοῦντας, ἐμὲ δὲ πενόμενον, οὐδ' αὖ
ὑμᾶς μὲν ὑπερευδοκιμοῦντας, ἐμαυτὸν δὲ διαβεβλημένον,
οὐδὲ τὰ μὲν ἐμὰ πράγματα κινδυνεύοντα, τὰ δ' ὑμέτερα
ἀσφαλῶς ἔχοντα. πόθεν ἂν οὖν εἰκότως ὑπώπτευον ἄχθε-
σθαί μοι συνόντας[4]); καὶ ταῦτα[5]) διὰ τί πρὸς τού- § 8.
τους τὸ τελευταῖον ἐλέγετε, οὓς οὐκ ᾤεσθε ἀπαγγελεῖν
ἡμῖν; κἀνταῦθα σόφισμα καλὸν εἶναι, εἰ[6]) περιήλθετε
πάντες ὑμῶν αὐτῶν κατηγοροῦντες ὅτι πονηροῖς ἑκόντες
ὁμιλεῖτε. περὶ μὲν οὖν τοῦ λέγοντος οὐδὲν ἂν περαίνοιτε
πυνθανόμενοι. πρῶτον μὲν γὰρ εἰδότες[7]) ἐρήσεσθε τὸν
εἰπόντα μοι· πῶς γὰρ οὐκ ἴστε πρὸς ὃν ἐλέγετε τὸν λόγον;
ἔπειτα κακὸς ἂν εἴην, εἰ ταὐτὰ ποιήσαιμι αὐτὸν ἅπερ
ἐκεῖνος ὑμᾶς. οὐ γὰρ ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἐκεῖνος ἡμῖν ἀπήγ- § 9.
γελλεν, ἐφ' οἷσπερ ὑμεῖς ἐλέγετε πρὸς ἐκεῖνον. ἐκεῖνος μὲν
γὰρ ἐμοὶ χαριζόμενος ἀπήγγειλε τοῖς ἐμοῖς ἀναγκαίοις,
ὑμεῖς δὲ βλάπτειν ἐμὲ βουλόμενοι πρὸς ἐκεῖνον ἐλέγετε.
καὶ ταῦτα εἰ μὲν ἠπίστουν, ἐξελέγχειν ἂν ἐζήτουν· νῦν δέ·
ξυμβαίνει γὰρ καὶ ταῦτα τοῖς πρὸ τοῦ, καὶ ἐμοὶ σημεῖα
ταῦτα μὲν ἐκείνων ἐστίν, ἐκεῖνα δὲ τούτων ἱκανά. πρῶτον
μὲν ἅπαντα δι' ὑμῶν πράξαντά με περὶ τῆς θέσεως τοῦ § 10.

---

[1]) sequor conjecturam amici, nam sententia haec est: nihil potui invenire; libri οὐδὲν οὗτος ἐξεῦρεν. — [2]) codd. X et C D O ὑπερεῖδε. — [3]) libri οὐδ' αὖ πλουτοῦντας. — [4]) libri συνόντι, sed recte olim Scheibius conjecit συνόντας. — [5]) libri καὶ ταῦτα δ', ὅτι πρὸς τοὺς τελευταίους. cum Emperio nunc scripsi διὰ τί et post ἡμῖν signum interrogationis addidi, de ceteris cf. supra. — [6]) sic libri; Dobreus conjecit ἡγούμενοι et addidit Eurip. Hecub. v. 258. — [7]) libri εἰπόντες.